

ambiguæ, vim habent perquam exiguum probandi. Seplasiarij, vnguentarij, *Φαρμακοτεῖσαι*, & id genus hominū mœstum Horatio, fucos alebat, vnguēta vēdebat, ornando potius, quām curando & perfanando humano corpori destinatum: vt ad rem nostram nihil vel certè perpusillum facere videatur. Si Auenzoar designatus est parandorum remediorum inquinamenta, an eius vel exemplum vel auctoritas tanti fuerit, vt vel rectæ rationis persuasionem interuertere, vel nostris medicinæ principibus culpam vel minimam erroris alicuius impingere debeat?

Sin adhuc quispiam eo præparandorum medicamentorum ritu mechanicis artibus inferri Medicinam criminetur, quæ liberalium disciplinarum ordini, omnium hactenus eruditorum calculo adscripta, honori fuerit sequacibus suis: non negabimus mechanicam dici posse, si prius genuina vocis significatione fundamenti loco supposita, ostendatur, mechanicam artem haudquaquam liberalibus disciplinis ceu aduersis

Q 4 & con-